

**Auspicio altissimi
disputatio philosophica
divisionem affectionum
spiritus ...**

Flachsenius, Jacobus Henrici,

11 Aea



5.6. 17.
Auspicio Altissimi
DISPUTATIO PHILOSOPHICA
DIVISIONEM AFFE-
CTIONUM SPIRITUS
nec non Problemata & Theore-
mata non nulla eam concernens
tia exhibens.

QUAM
*Cum Consensu Venerandi & Ampliss. Col-
legij Philosophici in Regia Acad.
Aboënsi.*

PRÆSIDE Clar.
M. JACOBO FLACHSENIO
Acad. Ab. Secret. ut & Phil. Fac.
Adjuncto,
Defendendam pro viribus Suscepit,
MICHAEL CASTRENIUS
Aboëns.

*Habebitur in Athenæo ad Auram superio-
ri & maximo, ad diem Ap. 1665*

A B O Æ



Excusa à PETRO HANSONIO A. T.



Krona

Rever. Clariss. Spectatiss. & Vener. di
VIRIS

DN. SVENONI TORCHELLI
Pastori in Lojo optimè merito, ejus-
demq; Districtus Præposito gra-
vissimo.

DN. ABRAHAMO Hermainen
Pastori in Krockflet benè merito

DN. M. JOHANNI S. FORSE-
NIO Vice Pastori in Lojo dignissimo.

DN. MARTINO BRENNERO
Pastori in Espo attentiss.

DN. JOHANNI THAVONIO,
Pastori in Karis Lojo meritissimo.

DN. JOHANNI Krock Pastori
in Ingo dexterrimo.

*Fautoribus & Evergetis debito honore
& cultu prosequendis;*

την διατριβην ανυπαριστην
desert & inscribit

RESPOND.



SECTIO I. THEOREMATICA. 161

ejus, non tamen præcisè sumptam; sed cum ordine ad actum puniendi, quæ coñotatio, in essentiâ Dei nudè & simpliciter spectatâ, nõ invenitur.

Hujus rei fundamentum est simplicitas essentiæ spiritus, & concursus multarum in eâdem perfectionum: intellectus enim noster, cum non possit multa simul distinctè cognoscere, hinc fit, ut essentiam spiritus apprehendat nunc cum perfectione hac, nunc cum aliâ, & sic partiatur conceptus in spiritu, eandem illius essentiam inadæquatè repræsentantes. Nota, cum attributa dicuntur inadæquatè repræsentare ipsum subjectum, seu esse conceptus inadæquati spiritus, sciendum illa dupliciter posse considerari vel *secundum se ipsa*, præcisè & juxta rationem terminorum, sub quibus fiunt, sic sunt conceptus adæquati, vel *in ordine ad subjectum suum*, cujus sunt attributa, sic

Conce-
pt: Af-
fect. dus
plic.
confid.

L recti-

162 PNEUM PART GEN CAP. II.
rectissimè dicuntur inadæquati
conceptus attributorum. E.g. inex-
tensio adæquatè significat repu-
gnantiam illam, quam habet na-
tura spiritualis ad quantitatem, in-
adæquatè verò spiritum, scilicet
sub hoc tantum formali.

Quod vero attributa priori mo-
do considerata sint conceptus in-
adæquati, sic ostenditur: *Si attri-
buta spiritus, representant essentiam spis-
ritus adæquatè, tunc non amplius erunt
attributa, sed voces equipollentes, cum
voce spiritus, h. e. nomina æquè pri-
mò essentiam spiritus significantia,
ac vox spiritus; quemadmodum
in Philosophia prima Res & ali-
quid adæquatè id ipsum significant
quod Ens; at falsum consequens.*

E. & antecedens Hæc ad materiale
affectionum spiritus: *Formale con-
sistit tum in consecutione; consequun-
tur enim conceptum primum seu
quidditativum, & proinde compe-
tunt*

Forma-
le Af-
fect.

SECTIO I. THEOREMAT 163

tunt affectiones spiritui à posteriori, in ordine concipiendi & cognoscendi, ex ipsoq; fluunt tanquam essentialia consecutiva; tum *in paronymicâ denominatione*: nam prædicatio affectionum harum de suo subjecto, non est synonymica sed paronymica seu extraessentialis. Distingendum esse hic, monet Mejerus, inter prædicationem paronymicam *vulgarem* & inter *eminentem*.

Non prior sed posterior hic intelligenda. Itaq; paronymicè prædicari, hoc in loco non exponendum, per τὸ prædicari accidentaliter, ut communiter fieri solet, sed per τὸ prædicari extraessentialiter, spiritus n. ut sic, non admittit accidens.

§ 5. Definitionis prioris brevis explicatio sic erat, quibus probè pensitatis, non potest non intelligi posterior, quoniam hæc ab illa non multum differt, præterquam quod loco generis hæc extent vo-

Coll.
Pneuma.
Disp. V
Cap. II,
§ 3.

Expositio
Des
finit.
posterior.

ces, *conceptus secundarij*: quod genus (quasi genus) cum omnibus affectionibus spiritus sit commune, ideoq; legitimum. Secundarij conceptus dicuntur affectiones, ad innuendam differentiam earum à conceptu primo, qui est conceptus essentiæ subjecti, quod hic sit causa & radix illorum; illi vero ex hoc tanquam ex fonte fluunt: hic est unus, secundarij verò plures: hic invenitur in modo dicendi per se primo; illi in secundo: deniquè hic est causa, quod conceptus illi secundarij, cognoscantur inesse subjecto & de eo demonstrantur.

Requis
sita Af-
fectio-
num.

§ 6. Sufficiunt itaq; hæc requisita ad affectiones spiritus ut 1. Realiter, h. e. citra mentis operationem eidem conveniant. 2. Cum spiritu reciprocentur: affectiones enim spiritus uni & soli spiritui competere debent, ut cum eo per simplicem conversionem possint
conver-

converti. 3. Formaliter differant à spiritu: non enim omnis affectio ex natura rei, seu realiter est distincta à suo subjecto, sed sufficit distinctio formalis, quæ est rationis ratiocinata, in diversitate conceptibilitatum fundata. 4. Sint spiritu posteriores conceptibilitèr & deniq; de eo debeant demonstrari.

THESES II.

AffectioDivisio
Affect.num spiritus, quædam sunt immediatæ, quædam mediatæ; utræq; autem vel positivæ vel negativæ.

ΕΙΣΘΕΣΙΣ,

§ 1. Posteriores hanc divisionem AffectioDivisio
Affect.num scilicet in *positivas & negativas* communiter retinent Pneumatici ferè omnes, eam ob causam, quod terminorum quibus exprimuntur, quidam sint positivi, quidam negativi: Sed priorem quam exhibet thesis divisio-

L 3 nem

Calov.
in Typ.
Pneum

nem, videlicet, quod alia affectio-
nes sint *mediata* alia *immediata*, cun-
cti, si solum exceperis Calovium
omifere, quam tamen non tantum
veram & *necessariam* sed etiam *po-
tiores* esse, evincitur rationibus
petitis. I. *Ab immediata & mediata
consecutione affectionum à conceptu spi-
ritus primo, sic:*

I. Ratio

*Si quaedam affectiones spiritus, imme-
diatè consequuntur ejus conce-
ptum primum & quidditatis, quæ-
dam autem mediatè, mediante sci-
licet alia affectione, sequitur af-
fectiones necessariò dividi in medias
& immediatas; at. v. p. E. &
post,*

Propositio major per se vera est,
& quamvis in spiritu ut sic, nihil
est prius aut posterius *quoad rem*,
satis est fundari hanc præcessio-
nem & consecutionem in *ordine
nostri concipiendi*. Minor probatur
exemplis: quis non videt, quod

inex-

SECTIO I. THEOREMAT. 167

Inextensio immediatè consequatur immaterialitatem, conceptum spiritus primum; Indivisibilitas autem & illocalitas mediatè, mediante scilicet inextensione, sive immunitate quantitatis. Sic, immutabilitas quoq; immediatè consequitur conceptum spiritus primum, mediante autem illa, incorruptibilitas & perennitas. Hinc sua sponte fluit ratio II. petita à *Demonstratione affectionum immediatâ & mediatâ*, argumentum est tale: Rat. II.

Si quaedam affectionum spiritus, demonstrantur de eo immediatè per conceptum primum, quaedam verò mediatè per aliam affectionem, sequitur affectiones verè dividi in mediatas & immediatas, at v. p. E & posterius.

Major hic quoq; superior est exceptione: Minor potest probari exemplis. Simplicitas immediatè demonstratur de spiritu per con-

L 4 ceptum

ceptum primum, præ eminentia verò mediante simplicitate.

§ 2. Pro præstantia hujus divisionis præ illa vulgari, desumitur ratio à firmiori fundamento sic argumentando :

Argu-
mentum
pro præ-
stantia
Divis.

Quacumq; divisio firmiori nititur fundamento illa est potior; sed hæc divisio affectionum in mediatas & immediatas firmiori nititur fundamento, quam illa in positivas & negativas. E.

Minor probatur, nam illius divisionis fundamentum consistit tantum in nudis terminis: omnes enim affectiones, quo ad rem, positivam inferunt perfectionem, licet quædam terminis exprimantur negativis; hæc verò divisio, qua affectiones dividuntur in mediatas & immediatas, fundatur in re, quoad modum concipiendi nostrum.

Expositio
Dive
vis. pos
siter.

§ 3. Ulteriùs dicitur in thesi, quod tum mediata affectiones, tum immediata, sint vel negativæ vel positivæ:

SECTIO I. THEOREMAT. 169

positivæ; quædam enim affectionum utriusq; generis, exprimuntur terminis negativis, quædam positivis, utriusq; tamen positivam perfectionem inferentibus. Non est itaq; hic negatio aliqua quoad rem, ita ut affectiones negativæ, præter negationem, nihil dicant spiritui convenire, adeoq; nullam inferant realitatem; sed tantum quoad vocis articulationem, prout ob defectum vocabulorum termino exprimuntur negativo, non quidem tali, qui constat particula negativa Non, sed *σεννητιχη* IN, removente imperfectionem, & summam in reponente perfectionem, remotæ isti perfectioni oppositam. Adrianus Hereboord hunc nodum ita explicat: *Negatio est triplex, vel pure negans, qua effertur plerumq; per particulam IN. ut immateriale &c vel privans, qua effertur distincto vocabulo, significante carentiam habitus in sub-*

Acces-
ptio vo-
cis nes-
gativi

Pneum
lib. c. 6.
ad The-
or. 1.

L 5 jecto

jecto capaci, ut cecitas; vel infinitans, que effertur per prefixam notam negandi NON. ut non quantus &c. dicitur que attributa spiritus negativa dicit talia primo modo, negatione purè negante, expressa per particulam in, quæ unam facit vocem compositam cum ea, cui adiungitur, eoq; ipso cum negat imperfectionem dicit perfectionem. Quæ omnia non sine acumine, & veritati convenienter dicuntur. Vox *positivi* quoq; non *strictè* sumenda, quasi affectiones hæ positivæ, essent peculiaris entia positiva; sed *latius* prout denotat aliquid positivi, quatenus scilicet perfectio illa quæ in re ponitur, exprimitur termino positivo seu affirmativo.

acces
prio vos
eis pos
se.

THESES III.

Numerus Af-
fectio-
rum.

Affectiones immediatæ sunt
Inextensio, simplicitas, im-
mutabilitas, insensibilitas,

vita

SECTIO I. THEOREMAT. 171
vita, intellectus; mediatae ve-
rò, indivisibilitas, immobili-
tas, illocalitas, intemporalitas,
immortalitas, præ eminentia,
perennitas, voluntas, arbitrij
libertas.

En Sectis.

§ I. Numerum Affectionum tum
mediatarum tum immediatarum,
quem thesis hæc exhibet, suffici-
entem esse, probatur I. à modo af-
ficiendi, sic argumentando:

I. Ratio
pro suffi-
cientia Af-
fectionum.

*Si tot sunt constituenda affectiones spi-
ritus, quot modis afficiunt seu de-
nominant illum tanquam subjectum,
sequitur numerum affectionum in
thesi positum esse adaequatum; at
v. prius. E. & posterius.*

II. A ratione principij demonstrandi: II. Ratio

*Quotcumq; affectiones, de spiritu per
principia demonstrandi in Pneuma-
tica, possunt demonstrari, tot etiam
sunt constituenda; sed tot saltèm
quot*

quot thesis proponit possunt demon-
strari &c. E. Et per conse-
quens numerus affectionum in the-
si est sufficiens. Quænam affectio-
nes autem sint positivæ, quænam
negativæ, sua sponte patet ex in-
spectione thesios.

Comp.
Pneum
lib. I. c.
6. ad
Theor.
IV.

§ 2. Ordinem affectionum quod
concernit, de eo sic loquitur He-
reboord: *inter attributa spiritus in
genere, haud dubiè aliquis est ordo prio-
ritatis: sed cum prioritas alia sit secun-
dum rem, alia secundum rationem, que-
madmodum est ordo quidam prioritatis
quoad res significatas, & alius quoad
rationes formales. Probatq; certum
ordinem tali syllogismo:*

*Quorum unum per aliud demonstra-
tur, inter ea est ordo prioritatis &
posteritatis; sed affectionum spiri-
tus una per aliam demonstratur. E.*

Quæ omnia se rectè habent, & ex
allato argumento id potest conclu-
di, quod affectiones immediatæ
prio-

SECTIO I. THEOREMAT. 173

priores sint mediatis, ob rationem datam, tantum quoad modum concipiendi nostrum. Quod verò dicat, attributa positiva esse priora negativis, eo ipso & sibi & veritati contradicit: non enim omnia attributa positiva sunt immediata, sed quædam sunt mediata, quæ per aliud attributū negativum immediatum, de spiritu demonstrantur, e. g. perennitas per immutabilitatem &c. Sunt quoq; quædam attributa positiva quæ per alia attributa positiva possunt demonstrari; quædam etiam attributorum negativorum per alia attributa negativa: assertionis utriusq; dantur exempla: Præeminentia per simplicitatem; voluntas per intellectum. Indivisibilitas per inextensionem &c. De ordine cujusq; affectionis singulatim si moveatur quæstio, rectè cum Mejero dicitur, eum quoq; fundari in nostro concipiendi modo,

Colleg.
Pneum
Disp.
V, c. II.

secundus

secundum quem, affectiones ex essentia spiritus promanare concipiuntur. Præcipuè solet controversi, an simplicitas sit prior in extensione; qua de re in sequentibus.

SECTIO II. AXIOMATICA.

AXIOMA I.

Affectiones spiritus sunt oppositæ affectionibus corporis.

Probat
tio.

§. I. Quemadmodum ex diversis scaturiginibus diversi manant humores, ex una limpidior ex alia crassior: ita etiam ex alijs atq; alijs essentijs, aliæ atq; aliæ oriuntur affectiones, & quidem ex oppositis oppositæ; spiritus autem & corpus quoniam diversissimas & oppositas habent essentias, propterea etiam longè diversas & oppositas habent proprietates. Hinc est, quod affectiones corporis materiæ sunt immersæ, ut extra eam non reperiuntur, solisq; materiatis

rebus

SECTIO II. AXIOMATICA. 175

rebus conveniunt; affectiones spiritus autem in rebus materiatis, non solum non reperiuntur, sed & materiam planè respiciunt, adeo ut quod quid proprietati corporeæ vicinissimum, eò à natura spirituali est remotissimum. Corporis comes est quantitas, spiritus autem immunitas à quantitate seu inextensio. Corporis affectiones sunt localitas, mobilitas, divisibilitas, corruptibilitas, temporalitas &c. Spiritus affectiones verò illocalitas, immobilitas, indivisibilitas, incorruptibilitas, intemporalitas &c. has autem proprietates illis oppositas esse quis non videat.

§. 2. Non tamen ita accipien- ^{Limitas}
 dum hoc axioma, quasi affectio- ^{tio.}
 nes spiritus in illo rigore essent
 affectiones, ut sunt affectiones cor-
 poris, quæ realitèr tum à suo sub-
 jecto, tum inter se quoq; differunt,
 realemq; cum illo compositionem
 faci-

176 PNEUM. PART. GEN. CAP. II.
faciunt: Siquidem sunt accidentia
& ex alia classe entis peculiaria
entia, quod de affectionibus spi-
ritus dici nequit; non cessant ta-
men verè esse & dici affectiones:
conditio namq; materialis, non est
in formale rei inferendum.

A X I O M A II.

Quæcunq; proprietas non
fluit ab essentia spiritus, non
est ejus vera proprietas.

§. 1. Hac regula discernitur fal-
sitas 1. Illius sententiæ, qua asseri-
tur affectiones spiritus esse acci-
dentia, quod in sectione prima
hujus capituli, ob rationes ibi me-
moratas negatum est. 2. Discer-
nuntur quoq; hac quælibet spuria
proprietates à genuinis & legitimis,
quæ unicè hac normâ censeri de-
bent. Hinc patet valdè ineptè
quondam statuisse Timplerum,
dum affectionibus spiritus annu-
mera-

lib. 4.
Met.
Cap. 4.

SECTIO II. AXIOMATICA. 177

meravit (α) *Ex nihilo produci*; nequè enim omnis spiritus ex nihilo producitur: spiritus hominis per generationem hominis propagatur & mediante propagatione, producitur anima infantis, ubi spiritus non fit ex nihilo, sic enim immediatè à Deo crearetur: sed ex anima parentum præexistente & generante propagatur, ut fufius docent phyfici. Neq; id per se est in spiritibus, nec solis competit. De corporibus quoq; verum est, illa ex nihilo produci: cælum namq; & terram primitus ex nihilo producta esse, author est Spiritus Sanctus. (β) *In loco esse*; Gen. I. sed sine spatij localis occupatione, ut interpretatur idem Timplerus. In loco sine spatij occupatione nihil est, nisi locum illocalem quis ridiculè dicat. Corporis proprium est localitas; spiritus autem illocalitas. Hæ & si-

M

miles

178 PNEUM. PART. GEN. CAP. II.
miles spuria affectiones ad hujus
regulae veritatem examinatae sua
sponte corruunt.

Limita-
tio.

§. 2. Id tamen non vult axio-
ma hoc, ut omnes affectiones
spiritus immediatè ab ejus essen-
tia fluant: dictum enim erat su-
perius, alias affectiones esse im-
mediatas, alias mediatas; sufficit si
ex illa fluant sive mediatè sive im-
mediatè. Essentia enim media-
tarum quoq; affectionum prima
est scaturigo.

SECTIO III. ELENCTICA.

Problema I.

An spiritus affectiones ha-
beat veras & reales? R.

§. 1. Videri fortè potest hæc
quæstio primo intuitu supervaca-
nea: siquidem in sectione primâ
hujus capituli existentia affectio-
num spiritus fuit probata; hæc ta-
men duæ rationes obtinere, ut
eam

SECTIO III. ELENCTICA. 179

eam hic infererem 1. Quia aliquid amplius quæritur jam, quam ibi erat ostensum, uti mox patebit. 2. Quia hujus loci est tradere antithesin. Extiterere enim, & fortassis etiamnum sunt, qui affectiones spiritus, veras & reales esse denegant.

§. 2. Prænotandum itaq; 1. non esse in quæstione; an spiritui competant aliquæ affectiones: id namquè præsupponitur ex ante dictis; sed an affectiones illæ sint veræ & reales. 2. Non quæritur, an spiritus tales habeat affectiones, quæ realitèr ab ipso sunt distinctæ; sed an ob firmum aliquod fundamentum in re, mereantur reverà dici affectiones. 3. Reale hic non denotat *in specie* tale, quod videlicet habet realem & positivam essentiam in rerum natura, sed significat id quod non est fictum ab intellectu.

Sensus
Quæstio-
nis.

M 2

§. 3. Qui-

Decisio
quæst.

§. 3. Quibus præmissis, affirmativam quæstionis amplectendam esse suadent rationes sequentes. 1. Quia non sunt confictæ ab intellectu, sed spiritui competunt citra mentis operationem, adeo, ut cessante operatione intellectus, spiritus tamen esset inextensus, simplex, immutabilis &c. 2. Quia ad modum aliarum passionum propriarum per se demonstrantur de subjecto reali: nam scientiæ est, nonnisi reales passionnes & realia attributa de subjecto ostendere. 3. Quia si affectiones spiritus non essent reales, nullæ essent, nec possent dici convenire alicui subjecto necessario & per se (quod tamen est de ratione propriæ affectionis) sed saltèm quoad nomen eidem competerent, quod absurdum. 4. Quia si per intellectum tantum essent confictæ, in Pneumatica

non

SECTIO III. ELENCTICA. 181

non attenderentur, quæ est scientia realis, & gestit de subjecto reali affectiones demonstrare reales; alioquin scientiæ naturam non retineret.

Antich.

§. 4. In contrarium adducuntur sequentes objectiones :

Obj. I. *Si attributa spiritus saltèm ratione, seu intentionalitèr spiritui competunt, sequitur illa esse Entia rationis; at v. p. E. & posterius.* Obj. I.

Et per consequens affectiones ejus non sunt veræ & reales.

Obj. II. *Si affectiones spiritus sunt reales, tum sunt Entia realia; at falsum consequ. E. & antecedens.* Obj. II.

Obj. III. *Nullum negativum verè & realitèr competit essentiæ alicui à parte rei; at affectiones spiritus maximam partem sunt negativa. E. non verè & realitèr spiritui competunt.* Obj. III.

Obj. IV. *Si affectiones spiritus sunt reales, tum realem in spiritu faciunt compositionem* Obj. IV

M 3 tionem

*tionem; at falsum est consequens,
E. & antecedens.*

Propositio major probatur; quia
omne reale additum reali facit
realem compositionem.

Obj. V. *Omnis affectio vera & realis erit in
certo aliquo genere Entis; at affe-
ctiones spiritus non sunt in certo al-
liquo genere Entis. E. Ad sin-
gula breviter respondendum.*

R. ad I. R. ad. I. am 1. Propositionem ma-
jorem hunc in modum limitando:
si attributa spiritus ratione saltèm
ratiocinâte competunt spiritui &c.
tum negatur propositio minor:
nam ratione ratiocinatâ h. e. re
ipsa fundamentum præbente in-
tellectui operanti, spiritui com-
petunt. 2. Vox *Ens rationis* du-
pliciter accipitur (a) prout oppo-
nitur *Enti reali*; sic *Ens rationis* di-
citur omne id quod non habet
realem & positivam essentiam, &
hoc modo accepta voce, affectio-

nes

SECTIO III. ELENCTICA. 183

nes spiritus possunt dici entia rationis: (β) accipitur pro *Ente ficto*, sic Ens rationis est figmentum mentis, quod in re ante operationem intellectus non est. Hoc modo affectiones spiritus Entia rationis non sunt. 3. Accurate distingvendum est *inter mentis fictionem, & mentis operationem*; multa prædicata rebus convenire possunt per operationem mentis, discernentis unum ab alio, citra omnem fictionem, adeo ut nullum propterea Ens rationis conficiatur.

R. ad II.^{am} Limitando propositionem majorem sic: Si affectiones spiritus sunt reales tum sunt Entia realia, vocabulo *Ens reale* generalius accepto, sic conceditur totum argumentum. Si verò propositio major intelligatur de voce, *Ens reale*, accepta propriè & adæquatè, tum negatur, arguiturquè inconsequentia: nam non

omne reale statim est Ens reale. Privationes quoq; e. g. cæcitas, peccatum, sunt reale quid, non tamen sunt Entia realia.

R. ad
III.

R. ad III. Propositionem majorem esse falsam, multis probari potest exemplis: taceo quod privationes e. g. cæcitas sit negativum quid, verè tamen competit oculo à parte rei. Sed tale esto exemplum: posito, quod nullus esset terminus affirmativus quo negatio compositionis de spiritu proferri possit, quis tamen non videret idipsum spiritui verè & realitè ante operationem intellectus competere: cum nullam admittat compositionem sed est simplex; Pari ratione sentiendum etiam de attributis spiritus negativis; quamvis ob defectum vocabulorum necesse sit illa terminis proferre negativis, verè tamen & realitè competunt spiritui.

Quis

SECTIO III. ELENCTICA 185

Quis neget inextensionem, indivisibilitatem, incorruptibilitatem realitèr competere spiritui à parte rei cessante quamvis operatione intellectus. Summa responsionis hujus hæc est: negationes ejusmodi consideratæ *fundamentalitèr & quoad res significatas*, positivam inferunt perfectionem de spiritu, atque eidem ante omnem intellectus operationem verè & realiter competunt, quamvis *quoad voces* sint negativæ.

R. ad IV. Propositio major ejusq; probatio vicissim est lubrica ob inconsequentiam: affectiones enim reales non faciunt mox compositionem realem in subjecto, nisi sint realitèr distinctæ & inter se & ab ipso subjecto: attributa Entis sunt quidem realia, non tamen faciunt realem compositionem. Ad probationem respondetur; aliud est addere alicui ali-

R. ad
IV.

M s quid

quid reale, & aliud addere alicui aliquid reale realiter distinctum ab illo cui additur. De posteriori vera est propositio major, de priori autem non.

R. ad V.

R. ad V. Propositio major huius argumenti quoq; fallit: non enim est vera de omni affectione, sed de quadam. Affectiones corporis naturalis quidem sunt in certo aliquo genere Entis; affectiones autem Metaphysicæ, Pneumaticæ &c. nequaquam. Conditio itaq; materialis, in formale rei non inferenda, ut supra dictum. Fonseca inquit: *ut attributa aliqua sint vera entium realium passiones, non opus esse, ut ipsa sint formaliter Entia realia (adeoq; in certo genere entis) sed satis esse, si recipiuntur cum suis subjectis, quibus attribuuntur, & ex eorum natura quasi nascentur, etiamsi sint negativa, aut relativa rationis.*

4. Met.
c. 2. q. 5.
lect. 2.

Proble-

Problema II.

An affectiones spiritus ratione sui formalis, essentialis eius aliquid superaddant, & quidnam illud sit?

S. I. Occasionem dubitandi dederit, qui quaslibet affectiones ex natura quarundam aestimare voluerunt; tum etiam ea quæ superius dicta sunt de attributis, ea involvere essentialiam subjecti. Ut verò magis elucescat quid in quaestione positum sit, præsciendum

Status
Cons
trov.

1. Quæstionem non intelligentiam de affectionum spiritus *materiali*, sic enim sunt essentialis spiritalis; sed de *formali*, seu propria illarum conceptibilitate, quam qualibet tum à subjecto, tum ab alia affectione habet distinctam & peculiarem. 2 Non quaeritur de *additione reali*, secundum quam (doctore Stahl) id quod additur,

Dispo
Met.
quæ 3. ch. 4. 39

quà rem differt ab eo cui additur; sed de *additione rationis*, quando id quod additur sola ratione differt ab eo cui additur. 3. Non est sermo de *additione rationis ratiocinantis*, quæ est sine fundamento in re, & pura mentis fictio, sed de *additione rationis ratiocinate*, & hoc modo addi nihil aliud dicit, quam esse extra conceptum ejus cui additur.

Decisio
Quæst.

§ 2. Quibus prælibatis propositio decisiva quæstionis hæc est: *attributa Spiritus addunt essentia ejus aliquid rationis ratiocinate*. Quatuor sunt quæ innuit hæc propositio. 1. quod attributa spiritus *aliquid* addant essentia ejus, alias essentia & attributum essent synonyma. 2. Quod attributa Spiritus non addant ipsi *aliquid reale* cujus respectu ab ipso realiter distingvantur: quia sic essentia spiritus & ejus attributum essent res & res, atq; ita compositionis periculum in substantiam spiritus

SECTIO III. ELENCTICA. 167

spiritus redundaret; 3. Quod addant attributa spiritus essentiæ ejus *aliquid rationis*; hoc sequitur ex prioribus. 4. Quod non addant *ad ditione mera rationis*, hoc est sine fundamento in re, quasi attributa spiritus extra intellectus operationem nullum esse haberent; sed *rationis ratiocinata*, quæ fit intellectu non fingente, sed concipiente & apprehendente. Huic affectioni fundamentum præbet cumulus perfectionum spiritualium, quæ omnes simul à nobis concipi & apprehendi nequeunt, sed nunc hæc, nunc illa; nunc spiritum concipimus prout est simplex, nunc prout incorruptibilis &c.

§ 3. Argumenta in contrarium hæc sunt: Antithesis

Obj. 1. Quicquid subjecto Pneumatica per se non inest, illud essentiæ ejus tanquam attributum non potest superaddi, ut affectiones subjecti Obj. 1.
Pneuma-

Pneumatica ei per se non insunt &

Majoris veritas desumitur ex Aristotele, qui dicit passiones Entis ei per se inesse debere. Et ita comparatum est cum quavis scientia, nempe quod consideret suum subjectum, & illa quæ subjecto suo per se insunt, ut patet ex aliis locis Arist. Minor probatur: quia solæ rationes reales & positivæ dici possunt inesse; affectiones autem spiritus quo ad rem sunt ipsa essentia ejusdem; præsertim autem affectiones illæ negativæ spiritui non insunt.

4. Met.
c. 1.

i. Post.
Anal.

Obj. II. *Obj. 2. Si attributa Spiritus sunt Entia realia & positiva, tum sequitur quod reale quid ei addant; at v. p. E. & post. & per conseq. falsum est quod dicebatur in superiori paragrapho, ea addere essentiæ spiritus aliquid rationis*

Major est vera per se. Minor probatur: quia propositiones illæ, in quibus

SECTIO III. ELENCTICA 191

quibus attributa de suo subjecto efferuntur in concreto, pertinent ad primum modum dicendi per se, in quibus prædicatum est de essentiali ratione subjecti.

Obj. 3. Si affectiones Spiritus non sunt positiva, adeoq; realem non habent entitatem, sequitur illas esse non entia; at verum prius E. & posterius. Et per consequens nihil addunt essentiali spiritus.

Obj. III

Connexio majoris & quod inde inferitur, probatur: quia, quando non Ens prædicatur de Ente reali, nihil additur essentiali ejus; & quid absurdius, quam dicere ens reale esse non Ens, vel esse Ens rationis.

Resp. ad I. Ambiguus est sensus verborum *per se inesse*. Non est sensus earum vocum is, quod affectiones spiritus ei insint realiter, quasi formæ reales realiter inhærentes; sed *per se* hic opponitur *et accidentaliter*

R. ad I.

ter

tèr inesse, quomodo propria affectio gessit inesse suo subjecto. Sic autem dicendum: attributa spiritus insunt eidem per se, id est non accidentalitèr; prædicantur enim de spiritu quatenus spiritus est. Quæ ambiguitate sublata negatur minor. Ejus quod attinet probationem, illa sibi non constat: affectiones enim spiritus omninò sunt reales & positivæ. Affectiones, quæ dicuntur negativæ, dictum est superius denotare quandam in spiritu perfectionem, quæ hic quoad voces sunt negativæ quoad rem tamen sunt positivæ.

Resp.
ad II.

Resp. ad II. 1. Tollendo ambiguitatem, quæ est in voce Ens reale. viderespons: ad obj. 2. in præcedenti quæstione. 2. Negatur propositio minor, ejusq; probatio; falsum enim est, illas propositiones in quibus dicto modo de subjecto efferuntur affectiones, referi ad primum

Virtutum, literarumq; studijs Politissimo

JUVENI

DN. MICHAELI CLEM: CASTRENI
STRENIO, Opt. artium studiosissimo,
Exercitium hoc Academicum in
lucem edenti, patriotæ & amico suo
perdilecto hoc schediastrate

L. Mq; gratulatur:

Qui de spirituum naturâ differis aptè
Castreni, genium te quoq; habere probas.
Est DEus in nobis, divina particula aurâ
Est anima: hac rectè dicitur orta polo.
Sed tamen ut Phæbus præ cunctis fulget in or-
Sideribus: sic est celsior ipse DEus. (be
Huic debent ortum, quacunq; exorta fuere
Pneumata: vel alia: huic gloria summa DEO!

MARTIN: MILTOPÆUS,
Eloq. Prof. Publ.

Ad DN. Respondentem

MICHAELEM CASTRENIUM

fautorem & amicum suum dilectum.

Quanta tibi ingenuis fuerit vigilantia Musis
CASTRENI Charitum miles amande chorus?
Explicat id præsens quem sic moderabitur ausus
Ingenij prompti cura profunda, tui,

Me

Ut nec Scieclides, vel quos Permessidos unde
Largius imbueant, ritè referre queant.
Gaudia quæ tacitis surgant in pectora flammis
Aonidum Patrum, dum tua Musa doces
Quæ de spiritibus rationis dogmata possit
Eruere humano mens studiosa sono.
Ergo tuis stet dignus honos conatibus, atq;
Sic probe ingenium Pallas amica tuum,
Ut tandem Lauro donet Parnasside, quâ cum
Patrem atq; affines exhilarare queas.

Occupatiss. scriptis

JOHANNES FLACHSENIUS

Auxilio quondam sensus veneranda vetustas
Plurima præclare docuit: sed spiritus ille
Qui maria & cælum terrasq; ignemq; calentem
Lucentemq; globum Lunæ Titanæq; astra
Fecit & intus alit, veteri non cognitus ævo est
Namq; alijs princeps rerum disponitur ær
Hic confidit aquis, hic præcreat omnia flammis,
Atq; alijs aliud celebratum ex corpore numen.
Tu meliora tenes MICHAEL qui differis apte
Quæ sit spiritibus natura & qualis in illis
Vita expers finis, quatis sine corpore mens est
Gande igitur, Audijs te exspectat debita merces!

*Sic Præstantissimo DN. Resp.
Fautori ac amico suo hono-
rando gratulabatur*

HENRICUS H. BLANCK
Aboënsis.